

B. N. II, 86.

h. 16, 16.

(X4880727)



DE
SERENISSIMI
ELECTORALIS
COLLEGII
ORIGINE

EXERCITATIO HISTORICA,

QUAM

AUXILIANTE DEO,

PRAESIDE

LVDOVICO LIEBHARDO,

Historiarum Professore Publico,

In Illustris

CHRISTIAN - ERNESTINI

Collegii

Quod BARVTHI Francorum est,

Auditorio Maiori,

D. Iul. Ann. clō Ioc LXVIII.

Pro viribus tueri conabitur

CHRISTIAN FRIEDERICVS *Pertsch,*

Coelicoronacensis Francus.



CVRIAE NARISCORVM

LITERIS MINTZELIANIS.

14.

0.12.







I. N. I. C.

I.



Antiqua Historiarum monu-
 menta volentibus constabit,
 olim quidem in varios popu-
 los, variasque Respublicas
 Germaniam fuisse diuisam,
 donec tandem victricibus
 Francorum armis, praepri-
 mis vero ductu et auspiciis

Antiquitas
 Germania
 in varias
 Resp. fuit
 diuisa, vsque
 ad tempora
CAROLI
M.

Magni CAROLI non vniuersa tantum Germania
 vsque ad mare Balthicum, verum etiam Gallia
 omnis, et Italia vsque ad extremam Calabriam, Hi-
 spaniae item pars ad Iberim amnem vsque, vna cum
 Pannonia, et insigni Daniae portione in vnum cor-
 pus sint redactae.

II.

Non vna tamen Antiquioribus Germanis paucissimi
 quondam fuit Reipublicae forma. Et quidem Germani
TACITI tempore paucissimi Germaniae populi quondam
 Reges ha-
 suos buerunt.



suos habuerunt Reges, quos tamen suadendi magis, quam iubendi auctoritatem habuisse patet ex eo, quod nec liberam et absolutam, sed circumscriptam et limitatam potestatem habuerunt, qualis fuit *AMBIORIX*, *Eburonum* Rex, qui apud *IULIUM CAESAREM V. Bell. Gall. 27. Sua esse eiusmodi Imperia dicit, ut non minus haberet in se iuris multitudo, quam ipse in multitudinem.*

III.

Franci usque ad Secul. Christian. V. Reges respue-
runt.

Praeprimis autem Franci ab absoluto domnandi genere abhorruerunt, et tam tenaces suae libertatis assertores fuerunt et vindices, ut exinde peculiari cognomento *Immunes et Liberi*, Germanice *die Freyen Francken*, dicti fuerint. Hinc usque ad Seculum Christianum V. nullos plane Reges sibi creauerunt. Et quamvis aevo illo, nec non sequioribus temporibus Reges eligerent, nunquam tamen absolutam et liberam potestatem iisdem concesserunt. De primo Francorum Rege, *PHARAMVND*O, ita scribit *IOHANNES TRITHEMIVS*, circa primordia superioris Seculi Spanhemensis, vel, ut alii volunt, Würzburgensis Abbas: *Post obitum Ducis Genebaldi, conuenientes in unum Proceres et Maiores natu Francorum, consilium habuerunt inter se maturum, utile iudicantes, ut MORE VETERVM sibi REGEM constituerent ex Ducibus unum, et bonus est visus sermo in oculis omnium. Et paulo post: Tandem de unanimi consensu PHARAMVNDVM, Ducem Franciae Orientalis, apud Würzburg in REGEM FRAN-*

FRANCORVM sibi elegerunt, qui filius fuerat
Marcomiri Ducis.

IV.

Regum Germanicorum Constitutionem quod Germani
attinet, ab antiquissimis temporibus mos fuit omni-
um Germaniae Populorum, Reges sibi sumere (vt neque mere
haereditari-
os, neque
mere electi-
tios, Reges
habuerunt.
TACITVS ait in Germ. VII, 1.) ex Nobilitate,
i. e. habita ratione generis, adeoque ex Sanguine
Regum Reges sibi eligere. Distincte tamen circa
CAROLVM M. eiusque posteros consideran-
dum est Imperium Romanorum, et Regnum Franco-
rum. Illud enim non tantum CAROLO M. sed
etiam ipsius familiae haereditario iure datum esse,
inde colligere est, quod ipse, teste ONVPHRIO
PANVINIO lib. de Comit. Imp. cap. 5. sine con-
sensu Pontificis et Populi Romani filium Ludouicum,
Ludouicus pari ratione filium primogenitum Lotha-
rium, et Lotharius itidem Ludouicum II. consortem
Imperii fecit, quamuis a temporibus CAROLI
Calui, qui malis artibus dignitatem Imperatoriam
mercatus fuerat, obtinuerit, vt nullus posteriorum
titulum Imperatorium sibi prius sumeret, quam a
Romano Pontifice esset coronatus. Francorum
autem et Germanorum Regnum neque mere Hae-
reditarium, neque mere Electitium fuit. Namque
Francorum Reges, habita nobilitatis et natiuitatis
ratione, a qua non nisi grauissimas ob rationes dis-
cessum fuit, electos esse historiae antiquae testan-
tur. Etenim, vt rem ab ouo repetamus, PHA-
RAMVNDI posteri, testante PETRO BER-
THAVLTO, Rerum Francicarum Scriptore

clarissimo, Imperium Francicum vsque ad PIPINVM, CAROLI M. Parentem, tenuerunt annos CCCXXXI. De morte PIPINI, eiusque successoribus posteris sic verba facit EGINHARDVS *in vit. Caroli Magni: Pipinus obiit superstibus liberis Carolo et Carolomanno, ad quos SVCCES- SIO REGNI diuino nutu peruenerat. Franci si- quidem, facto solenniter GENERALI conuentu, am- bos sibi Reges constituunt, ea conditione, vt totum Re- gni corpus ex aequo partirentur.* In quibus duo cum primis obseruanda. Primo, quod successio Re- gni diuino nutu ad *Carolum* eiusque fratrem per- uenisse dicatur. Deinde, quod Franci, facto ge- nerali conuentu, ambos sibi Reges constituerint. Ex quo colligere licet, filium quidem parenti suc- cedere, sed tamen insimul Populi Consensum super hac re impetrari debuisse, qui mos deinde in fami- lia Carolina per integros CXII. annos fuit obserua- tus. Carolidis successerunt *Saxones*, quorum fa- milia imperium obtinuit annos CV. Post fami- liam Saxoniam *Franconiae Duces* per annos CXIV. hisque de folio deiectis *Sueui* per annos CXII. re- rum sunt potiti. Hac laudabili consuetudine, va- riisque rationibus permoti Electores Serenissi- mi, potentissimae *Domui Austriacae* longe ultra CCXXXVI. annorum spatium gubernacula Impe- rii tenus hac concedere per libera suffragia quam optime voluerunt.

V.

Apud anti- quiores Ger- curatius paulo et penitus introspexerimus, appa- rebit,

rebit, nunquam non olim fuisse obseruatum, vt in ^{manos Re-}publicis Imperii Comitibus Omnes Principes, ^{ges primum} Omnis- ^{sunt electi} que Populus Regem sibi eligerent. Ita enim de ^{a Principi-} Electione *LVDOVICI*, cognomento *Pii*, *EGIN-* ^{bus, omni-} *HARTVS*, Caroli M. Cancellarius, qui tanto me- ^{que populo.} liori fide vitam Caroli M. retulisse, quanto familiaris eidem adhaesisse dicitur: *Extremo vitae tempore, quum iam morbo et senectute premeretur Carolus, aduocatum ad se LVDOVICVM, Aquitaniae Regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de TOTO REGNO Francorum PRIMORIBVS, CUNCTORVM CONSILIO, consortem sibi totius Regni, et Imperialis nominis haeredem constituit: Impositoque capiti eius diademate Imperatorem et Augustum iussit appellari. Similiter LOTHARIVM ab Omni Populo Parenti suo Ludouico, tanquam Imperii consortem datum esse testantur Annal. Franc. ad An. 817. GENERALEM POPVLI sui CONVNTVM Aquisgrani habuit Ludouicus more solito: in quo filium suum primogenitum LOTHARIVM coronauit, et nominis atque Imperii sui socium constituit. Eodem modo LVDOVICVM II. CAROLVM Caluum, LVDOVICVM III. CAROLVM Crassum, ARNVLPHVM, et LVDOVICVM IV. electos esse, in Annal. Fuld. legimus. De CONRADO I. WITICHINDVS, Seculo X. post CHRISTVM natum Monachus Benedictinus Corbeiensis coenobii in Saxonia: Regi Ludouico non erat filius, OMNISQUE POPVLVS Francorum atque Saxonum quaerebat OTTONI Diadema imponere Regni.*

gni. Ipse vero, quia iam grauior, recusabat onus Imperii, eius tamen consultu CONRADVS quondam Dux Francorum eligitur in Regem. De HENRICO I. qui Auceps postea dictus est, itidem WITICHINDVS: Euerhardus (frater Conradi) CONGREGATIS PRINCIPIBUS et NATV MAIORIBVS exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, designauit eum (HENRICVM) Regem coram OMNI POPVLO Francorum atque Saxonum. De OTTONE I. Idem: Defuncto Patre Patriae, et Regum Maximo Optimo Henrico, OMNIS POPVLVS Francorum atque Saxonum iam olim designatum Regem à Patre filium eius OTTONEM sibi eligit Regem. Parili ratione electus fuit OTTO II. teste Continuatore REGINONIS, circa Primordia Sec. X. in ditione Treuirensi, Prumiensis coenobii Abbatis, ad Ann. 961. Rex OTTO I. in Italiam ire disponens, maximam suorum fidelium multitudinem Wormatiae coadunauit, ubi CONSENSV et VNANIMITATE PROCERVVM TOTIVSQUE POPVLI filius eius OTTO Rex eligitur. Sic et de OTTONE III. scribit DITHMARVS Sigfridi Saxonici Comitis filius, Secul. XI. Mersburgensis in Misnia Episcopus: Anno Dominicae incarnationis ICCCCLXXXIII. Imperator Veronae placitum habuit, et filius Imperatoris (OTTO III.) ab OMNIBVS in Dominum eligitur. Verum omnia antiquitatis testimonia ad verbum proferre, pagellarum angustiae prohibent. Ne tamen iisdem penitus destituti videamur, quid de sequentium Imperatorum Electione Veterum Histo-

Historiae testentur, breuiter annumerabimus. De HEINRICO II. Successore *Ottonis III.* ita OTTO, *Leopoldi*, Marchionis Austriae filius, Henrici IV. e filia, vt loqui amant, nepos, Seculi XII. Episcopus *Frisingensis*: Anno ab Incarnatione Domini c*lxi* mortuo sine haerede Ottone III. HENRICVS patre Hezilone, natione Noricus, eiusdemque gentis Dux, ab OMNIBVS Regni PROCERIBVS electus LXXXVII. ab Augusto creatur. Sequentis Imperatoris CUNRADI II. Electionem prolixè narrat WIPPO, eiusdem Cunradi Cancellarius, hisce verbis: *Consedere Principes, populus frequentissimus adstabat, Archi-Episcopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo, quid sibi videretur, abundantè corde, voce hilari laudauit et elegit maioris aetatis CUNONEM Iuuenem in Dominum et Regem atque Rectorem et Defensorem Patriae. Hanc sententiam ceteri Archi-Episcopi et reliqui sacrorum Ordinum Viri indubitanter sequebantur, tunc singuli de singulis Regnis eadem verba electionis saepissime repetebant. Fit clamor POPULI, OMNES VNANIMITER in Regis Electione PRINCIPIBVS consentiebant, in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihil haesitando proposuerunt.* De HENRICO III. *Conradi filio*, XI. annorum puero, testantur Historiae, eundem Principibus Regni cum tota multitudine id probantibus, in Regalem apicem sublimatum esse. Henricum IV. magno apud Triburiam conuentu a cunctis electum esse testis est HERMANNVS, eo ipso tempore Monachus in Augiae maioris coenobio, a

B

mem-

membris contractis *Contractus* appellatus. Ex quibus testimoniis, cum subinde *Omniū, Cunctorum, Totiusque Populi* mentio fiat, antiquitus Electionem ab *Omniibus* factum esse constat: neque id de Principibus, Episcopis et Nobilibus quisquam facile negauerit. De Ciuitatibus id negauit **BELLARMINVS** *lib. 3. de Translat. Imp.* Cui opponimus **RADEVICVM**, *Secul. XII. Frisingensem* Canonicum, qui disertis verbis ait: *Confluunt ex omnibus Regni partibus cum magna frequentia Archiepiscopi, Episcopi, multique alii Ecclesiastici viri, Duces, Marchiones, Comites, Proceres, CONSULES et CIVITATVM IVDICES.* Quin imo *Populum* in iis, quae modo allegauimus, testimoniis, includere Ciuitates, vel ipsa recta ratio docet.

VI.

A tempore
Henrici V.
neque ad
Fridericum
II. electio
facta est a
solis, omni-
bus tamen
Principibus.

Subsequentibus tamen temporibus obtinuit, vt ius illud eligendi, quod **OMNIBVS** olim fuit commune, ad solos Principes deuolueretur. Namque **HENRICVM V.** a Bauariae, Sueviae et Saxoniae Principibus electum esse, testis est **WIPPO** *in vit. Henrici IV.* **LOTHARIVM**, qui *Henrico V.* successit, in ciuitate Moguntina, nec non defuncto *Lothario* **CONRADVM III.** Confluentiae a *cunctis Principibus* Regni Reges esse constitutos scribit **OTTO** *Frisingensis.* Post mortem *Conradi* a *cunctis Imperii Principibus* tam Ecclesiasticis, quam secularibus ex Italia et Germania electum esse **FRIEDERICVM I.** idem testatur **FRISINGENSIS.** Eadem fuit ratio **HENRICI VI. PHILIPPI,** et **OTTONIS IV.**
quo-

quorum iste a cunctis Principibus in magnis Imperii Comitibus Moguntiae; ille a Sueuis, Bauaris, Saxonibus; hic a Colonienfibus et Argentinenfibus electus est, teste CONRADO a LICHTENAV, Secul. XIII. Abbate Vrspergenfi. De Electione FRIEDERICI II. ita fcribit idem Vrspergenfis: Ann c lxxx. Otto excommunicatus denuntiatur. Tunc PRINCIPES ALEMANNIAE, Rex videlicet Bohemiae, (qui paulo ante ex Duce assumtus fuerat ab Henrico IV. ad Regnum) Dux Austriae, Dux Bauariae, Landgravius Thuringiae et ALII COMPLURES conuenientes FRIEDERICVM Regem Siciliae elegerunt, cui etiam olim, cum adhuc in cunis efferet, iurauerant fidelitatem.

VII.

Ast commodioris Electionis et declinandarum litium caussa, a toto Principum conuentu tunc temporis quibusdam Primatibus demandatum fuit, vt illi praeconsultarent, quis eligendus: cui, si tota etiam conuentui ita visum fuit, regnum delatum, quemadmodum id colligere est ex electione FRIEDERICI I. de qua OTTO Frisingensis scribit, quod, *ubi de eligendo Principe PRIMATES CONSULTARENT, tandem ab Omnibus Friedericus Sueuorum dux petitus, cunctorumque fauore in Regem sublimatus sit.*

Tempore Friederici I. Officiales Imperii magnam in eligendo Imperatore habuerunt auctoritatem.

VIII.

Post FRIEDERICI II. autem tempora, rebus per vniuersum Germanicum Imperium mirum in modum perturbatis, et inclinato iam Ger-

Electoralis Collegii Origo.

maniae statu, cum reliquis publica Imperii negotia parum curae essent, singulis tantum curantibus quod suum erat, factum est, ut non vno quidem actu, sed pedetentim, et per usum, sicque reliquis Ordinibus id non obseruantibus sibi solis illam Eligendi potestatem vindicarent SEPTEM primarii Principes, ab isthoc munere ELECTORES dicti, utpote TRES Ecclesiastici, *Moguntinus, Treuirensis, et Coloniensis* Archi-Episcopi, et QVATOR Seculares, *Rex Bohemiae, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniae et Marchio Brandenburgicus.* Hoc vbi in consuetudinem per aliquot actus abiisset, curante CAROLO IV. expresso Ordinum consensu, ut paci publicae consuleretur, Norimbergae clocccLVI. solennis Aureae Bullae sanctio accessit, qua id, quod consuetudine haecenus fuerat introductum, lege publica in ius scriptum transiit. Et ex eo tempore Principes illi Titulum ELECTORIS nomini suo adiicere, multoque excellentiores haberi, quam reliqui coeperunt. Tandem vero in Pacificatione Osnabrugensi (quam *vid. Art. 4. §. Quod ad domum*) Octauus Electoratus, frustra ringente et protestante Pontifice Romano, est institutus, ut ita hodie OCTO primarii Principes Imperii Serenissimum Electorale Collegium constituent.

IX.

Fundamentum nostrae assertionis.

Non postremum opinionis huius fundamentum desumi quam optime potest ex Aureae Bullae *cap. 1. §. 2.* vbi profectio Electorum ad Electionem Imperatoris peragendam *ab antiqua et laudabili consue-*

consuetudine, non vero lege aliqua aut constitutione expressa deducitur. Deinde *cap. 4. §. 2.* eiusdem Bullae, *Archi-Episcopus Moguntinensis iubetur potestatem habere suos in Electione consortes literatorie conuocandi, sicut potestatem habuisse dignoscitur AB ANTIQVO.* Vbi verba, *ab antiquo*, non intelligi de lege aliqua aut certa constitutione, sed de consuetudine et exercitio eiusmodi actuum ab antiquo debent. Et quae plura *Carolus* in Bulla sua confirmavit, quae ipse non lege aliqua, aut expressa constitutione, sed consuetudine tantum recepta fuisse agnoscit. Vt dictis maior concilietur fides, ipsum producimus **INNOCENTIVM III.** Pontificem Romanum, qui *in cap. Venerabilem de elect. et elect. pot.* ius eligendi Principibus competere ait *ex inueterata consuetudine.* Imo Electores ipsi ad **BENEDICTVM XII.** scribunt, *se conuenisse cum aliis Principibus Electoribus in Reinse super alueo Rheni, ubi Principes Electores super negotiis Imperii tractandis conuenerint AB ANTIQVO.*

X.

Fuerunt tamen non pauci Pontificum Romanorum Adulatores et Patroni, qui acceptam ferre Romano Pontifici Septemuiralis Collegii Originem voluerunt. Praeprimis causam Pontificis acriter defendendam superioribus seculis susceperunt **HOSTIENSIS** *in cap. Venerabilem de elect.* **PLATINA** *in Vita Gregorii V.* **MOLINAEVS** *Tr. 2. disp. 24. de Iust. et Iur. et contra Illyricum acerrime* **BELLARMINVS** *lib. 3. de Translat.*

Quidem Pontifici Rom. institutionem Collegii Electoralis adscribunt.



Imper. cap. 4. et seqq. nec non hoc ipso seculo MICHAEL LONIGVS, *Sacro Vaticani Palatio Praefectus*, qui non dubitavit GREGORIO XV. P. R. prolixum suppeditare consilium de adhortando *Serenissimum* MAXIMILIANVM, *Bauariae Ducem*, ad petendam dignitatis Electoralis confirmationem a sede Apostolica, e qua sola omnis haec dignitas ad Septemuiros manauerit. Et ex eodem capite, absterfo omni pudoris atque honestatis sensu, ausus etiam est FERDINANDO III. gloriosissimae memoriae Imperatori, Statibusque Imperii, INNOCENTIVS X. hodierni Pontificis Prae-Antecessor, exprobrare Pacem Osna-brugensem, quasi nefas fuisset Octauum Electorem, Ducem Bauariae, addere, sine Pontificis Autoritate, quando Nuncius, vt dicitur, Apostolicus, FABIVS CHISIVS, qui Innocentio successit, Protestationem immisit, qua leges Pacis Publicae irritas pronunciare tentauit. Verba eius habentur *in declaratione nullitatis Articulorum Pacis Germanicae apud LIMNAEVM Tom. 2. addit. ad l. 1. c. 12.* sicque sonant: *Numerus septem Electorum Imperii olim APOSTOLICA AVTORITATE PRAEFINITVS sine nostro et SEDIS PRAEFATAE BENEPLACITO augetur, et Octauus Electoratus in fauorem CAROLI LVDOVICI, Comitis Palatini Rheni, haeretici, instituitur, aliaque multa, quae pudet referre, orthodoxae religioni, Sedique praefatae, ac Romanae et inferioribus Ecclesiis, caeterisque praemissis summopere praeiudicialia et damnosa decernuntur.*

XI.

Verum non vllum inuenire antiquum monu-
 mentum licet, quod quidem antiquius sit Seculo post Sed falso:
 CHRISTVM natum XIII. quo Pontificis Auto-
 ritate institutos esse Septemuiros Electores prodi-
 tum sit. Antiquissimum monumentum proferunt
 ex cap. *Venerab. extra de Elect. et Electi potest.* Vbi
 ab INNOCENTIO III. qui circa finem Secu-
 li XII. et primordia Seculi XIII. floruit, pronun-
 ciatum fuerat, ius eligendi Caesarem Romanum
 ad Electores peruenisse Autoritate Romanae Se-
 dis. Verba decretalis illius Epistolae ab INNO-
 CENTIO ad Ducem Caringiae, vel, vt alii vo-
 lunt, Carinthiae, exaratae, ita se habent: *Illis Princi-
 pibus ius et potestatem eligendi Regem in Imperatorem
 postmodum promouendum recognoscimus (vt debemus)
 ad quos de iure ac antiqua consuetudine (noscitur per-
 tinere, praesertim cum ad eos ius et potestas huius-
 modi ab Apostolica sede peruenerit, quae Roma-
 num Imperium in personam magnifici Caroli a
 Graecis transtulit in Germanos.* Sed Resp. 1) In
 hoc capite mentionem tantum facit Innocentius *Ele-
 ctorum*, quo nomine comprehendi possunt omnes
 Imperii Principes et Status, qui sua aetate eligendi
 munere gaudebant; non vero *Electorum Septemui-
 rorum*, etsi SIMON SCHARDIUS *lib. de Elect.*
 et Iuris Canonici Doctores eo sensu caput illud in-
 terpretati fuerint. 2) Si vel maxime Pontifici de Ele-
 ctoribus Septemuiris sermo esset, non tamen dicit,
 ad eosdem lege aliqua aut constitutione expressa,
 sed tantum *iure ac antiqua consuetudine* i. e. iure an-
 tiqua

tiqua consuetudine introducto, potestatem illam pertinere. Est enim consuetudo ius, quod usus approbavit. 3) Testimonium illud est domesticum, nec in propria causa Pontificiis ostentationibus fidentium. 4) Agit Innocentius de Electione OTTONIS IV. quem non a Septemuiris Electoribus, sed ab aliis Principibus electum esse, CAESAR BARONIVS, alique Rerum Antiquarum peritiores fatentur. Post Innocentium, cum Bulla ista inter Decretales a GREGORIO IX. esset recepta, simulque Septemuirorum Autoritas inualuisset, passim sane credi coepit, a Pontifice dependere Principum Septemuirorum potestatem. Hac persuasione decepti, accedente praeprimis specie superstitionis et iuris, nec non metu excommunicationis, si quis fecus sentiret, aut contra hisceret, non tantum ipsi Electores non dubitauerunt potestatem illam eligendi Imperatorem ex praescripto INNOCENTII III. Pontificiae sedi acceptam referre; sed etiam Imperator ALBERTVS I. ad BONIFACIVM IIX. Anno clccc III. quo ipso anno Bonifacius diem obiit supremum, expresse scribit, quod *ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem postmodum promouendum CERTIS PRINCIPIBVS ECCLESIASTICIS et SECVLARIBVS sit a PAPALI SEDE concessum.* Sed excusandi sunt boni illi Principes, quod, cum historias veteres ignorarent, recentiorum narrationibus fidem aliquam habuerunt.

XII.

Praeprimis autem per duo amplius Secula ab Anno circiter clōCCL. ad Annum clōlō. vsque per-
 suaum fuit, OTTONEM III. Imperatorem, et Gregorium
 GREGORIVM V. Pontificem, Conradi ex V. autores
 Luidgarda Ottonis I. filia pronepotem, Ottonis Sue- Electoralis
 uiae Ducis et Iudithae filium, domesticum olim OT- collegii con-
 TONIS III. Sacerdotem Ann. Chr. lōccccxcvii. stituunt,
 aut clōl. Septenarium Electorum numerum insti-
 tuisse; nisi quod alii Autores primas partes Impe-
 ratori, alii Pontifici tribuant, prout nimirum quis-
 que vel in Imperatorem, vel Pontificem est anima-
 tus; cum tamen ex antiquissimis, quae iam dum
 adduximus, monumentis, etiam post OTTO-
 NIS III. tempora ad FRIDERICVM II. vs-
 que neminem Imperatorem a solis Septemuiris,
 quin potius ab aliis etiam Principibus et reliquo
 Populo electum esse probari luculenter possit.

XIII.

Primus autem Electorum mentionem facit in Mart. Polo-
 Chronico MARTINVS POLONVS, Archi- ni et Thom.
 Episcopus Consentinus, qui vixit tempore FRIEDE- Aquinatis
 RICHI II. annos circiter CCL. post Ottonem III. sententia de
 E cuius verbis male intellectis erronea haec opi- Ottoniana
 nio de instituto ab OTTONE III. et GREGO- et Gregoria-
 RIO V. Septemuirorum Collegio, nata omnino na institu-
 videtur. Ita autem ille in Vita OTTONIS III. tione refu-
 Licet isti tres Ottones per successionem generis regna- tatur.
 uerint, tamen postea fuit institutum, ut per Officiales
 C Impe-

Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem; videlicet primi tres Cancellarii Moguntinus Germaniae, Treuirensis Galliae, Colonienis Italiae; Marchio Brandenburgicus Camerarius, et Palatinus Dapifer, Dux Saxoniae ensam portat, Rex Bohemus Pincernam agit. Cumque ante POLONVM nullus fuerit, qui nominatim Septem Electores prodiderit, ad hunc eundem respexisse videtur THOMAS de AQUINO, scribens: Otto Imperium tenuit usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et tunc (ut historici tradunt) per Gregorium V. genere similiter Teutonicum, prouisa est Electio, ut videlicet per septem Principis Alemanniae fiat, quae usque ad ista tempora perseuerat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum vel circiter, et tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quae supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens iudicauerit. In duobus hisce testimoniis refutandis non est, quod admodum solliciti simus, cum iam tum superiori seculo Cardinalis BARONIUS operam suam nobis in hoc ipso commodauerit. Digna profecto sunt, quae transcribantur, eius verba, siquidem in refutando tam POLONI, quam AQUINATIS testimonio vtramque paginam faciunt. Ita autem ad locum POLONI scribit Tom. X. annal. ad Annum 996. num. 70. Martinus primus omnium auctor, qui septem meminit Electorum, in Ottone III. referens, qui postea suo tempore facti essent. Vnde irrepsit error, ut sub Ottone III. sub quo id ab eo scriptum inuenerunt, multi putauerint septem fuisse creatos Electores; scripseruntque a Gregorio factum,

factum, quod scriptum repererunt sub eodem Gregorio II. Papa V. nimirum ab ipso eosdem septem constitutos fuisse Electores. Cum tamen illud, quod Martinus ait: Tamen postea fuit constitutum, ut per Officiales Imperii etc. ad sua ipsius Martini tempora sit referendum. Ex BARONII itaque sententia e vocabulo *Postea* male intellecto et impertinenter applicato, quod tamen nec tempus determinat, nec Caesarem aut Pontificem, tanquam instituti huius Autorem denominat, omnis error natus est. Non itaque huius sententiae Assertoribus opitulari, nec recentioribus et veris rerum aestimatoribus aduersari videtur POLONVS, cum ea, quae ducentis et pluribus annis post Ottonem facta sunt, etiam *postea* facta dici quam rectissime queant. Ad locum ex THOMA AQUINATE allegatum respondet *cit. loc.* BARONIUS, Doctorem illum bona fide secutum Polonum, sicut et caeteri postea eadem scribentes fecisse deprehenduntur. Dicit tamen rectius potest, bonum illum virum per vocabulum *Postea* itidem seductum mentem POLONI minus recte percepisse.

XIV.

NICOLAUS CUSANVS *Cardinalis* Cusanus paulo aliter rem tractat, et HENRICVM II. Henricum consentiente GREGORIO V. Electores Septem II. autorem uiros constituisse narrat. Sed fallitur Cardinalis, denominat, cum GREGORIVM V. ante electionem sed falso. HENRICI II. obiisse ex Historiis satis constet. Dissidentes tamen has in tempore et personis opiniones nonnulli sic conciliari posse putant, quod ni-

prima Electoralis Collegii institutio coeperit in OT-
TONE III. et GREGORIO V. Exemplum
vero actus primi obseruatum fuerit in HENRI-
CO II. et SYLVESTRO II.

XV.

Alii huius
opinionis
adstipulato-
res refutan-
tur.

Quicquid autem praeter supra citatos Auto-
res, MARSILIUS PATAVINVS, MVN-
STERVS, SLEIDANVS, PEVCERVS,
multique alii a MEIBOMIO *ad lib. 3. Sleidani* re-
lati, de hac siue Ottoniana, siue Gregoriana institu-
tione scribant, nullum tamen haecenus priscum
monumentum, cui tuto fides haberi possit, profer-
re ad stabiliendam suam sententiam potuerunt. Sed
dicat quis, non esse omnia, quae gesta sunt, litte-
rarum monumentis consignata, nec valere negati-
uum argumentum ab autoritate humana ductum.
Huic obiectioni vt occurratur, respondemus cum
ALBERTO CRANZIO, circa initia Secul.
XVI. Collegii Hamburgensis Decano: *Quis est tam
vanus et leuis, qui hoc possit arbitrari, omnes vel mi-
nimas rerum mutationes esse descriptas illorum tem-
porum; illam vero rem tam ponderosam et stupendam,
si vera esset, pressis labris praeterisse scriptores.*

XVI.

Centuriato-
rum Magde-
burgensium
hac de re iu-
dicium.

Hoc probe secum perpenderunt CENTV-
RIATORES MAGDEBURGENSES, et eos
inter praecipue MATTHIAS ILLYRICVS,
IOH. WIGANDVS et ANDREAS COR-
VINVS.

VINVS. Qua de caussa, re accuratius pensiculata, priorem illam de Gregoriana ordinatione sententiam linquere, quam acriter, sed sine fundamento, eandem defendere maluerunt. Ac primum quidem in *Praefat. Cent. X. Ecclesiast. Hist.* quam Adolpho Hermanno Riedesel, in Eisenach, Marschalco Hassiae haereditario: inscripserant, pag. 5. edit. Basil. fateri non erubuerunt: *Est praeterea in hac decima Centuria illud insigne, quod Electio Romani Imperatoris, certis personis, consentiente Imperatore et Papa assignatur. Neque est exiguum Germaniae nostrae decus, quod ea, hac tanta excellentia, tum ornata est: Dum eam quoque tot seculis clementissima DEI protectione fortiter conseruauit. Deinde in vita Gregorii V. ex Nauclero, Bonfinio, Cuspiniano, Platina et Stella, inter alias res a Gregorio praeclare gestas expresse referunt, quod Gregorius undecimo sui exilii mense pristinae dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus sanxerit, ut penes solos Germanos eligendi Regem esset ius et potestas, qui post diadema a Romano Pontifice acceptum Imperator et Augustus appellaretur. Suntque Electores constituti septem, Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis Archi-Episcopi, Marchio Brandenburgensis, Comes Palatinus Rheni, Saxoniae Dux, et Rex Bohemiae, qui paribus suffragiis Electorum existentibus litem inter eos dirimat. At mente in melius mutata, recentiorum sententiam amplectuntur, Originem Septemuirorum post tempora Friederici II. reiicientes. Ita enim pag. 720. sub Otone Tertio: Vtrum autem Septemuiris ea potestas*

deligendi et designandi Imperatorem Romanum sit distributa, non satis ex historiis vetustis propter Scriptorum negligentiam est perspicuum. Hoc sane liquet, quod Germanis concessa est et confirmata potestas e sua gente Imperatorem creandi: Verum quod tantum penes septem Electores ex omni Procerum Germaniae numero ea potestas esse deberet, id non est annotatum. Ac fit primum mentio Septemuirorum post Friedericum II.

XVII.

Alii Gregorium X. Auctorem huius Collegii faciunt, inter quos sunt Auentinus.

Prius autem IOHANNES AVENTINVS, Boiorum et Germaniae studiosissimus, et Rerum antiquarum indagator solertissimus, superiori seculo ausus est docere, omne illud Electorale institutum Seculo demum XIII. coepisse, et quidem iam finito illo diuturno interregno, primumque adeo RVDOLPHVM a Septemuiris esse electum. In hoc tamen hallucinatur, quod Septem Electores post tempora FRIEDERICI II. quidem institutos, sed a GREGORIO X. cuius initia incidunt in Ann. Chr. cloccLXXI. confirmatos esse pro certo habeat, cum *Lib. V. Annal. Boic* inquit: *De SEPTENVIRIS siue PRINCIPIBUS ELECTORIBVS, qui sibi eligendi Imperatoris Romani Germanicique partes nunc sumunt, nihil penitus, ne verbo quidem vno, neque Hermannus, neque Romerius neque Sigebertus, neque Otto noster Gunterusue Poëta, et caeteri quique proximi horum temporum grauissimi diligentissimique Scriptores vllam mentionem faciunt, profecto non omissuri tantam rem, si, uti*
nostro

nostro seculo sunt, illa tempestate Principes illi consti-
 tuendi Caesaris legem ac praerogatiuam accepissent.
 Res aliter est, nempe longo post tempore instituta, fi-
 lios semper Parentibus proximos sanguine et affinita-
 te in demortuorum locum successisse ab omnibus com-
 muniter Ducibus, Dynastis, Satrapis, Episcopis, Prae-
 sulibus, Ciuibus, Populo Italiae, Galliae, Germaniae
 designatum esse Rectorem, vsus rerum Magister indi-
 cat. Ego Illos demum **POST FATA FRIEDE-
 RICHI II. institutos, et a GREGORIO X. Pontif.
 Max. CONFIRMATOS esse compertum habeo.**

XVIII.

Auentinum errantem secutus est **ONV-** Nec non **O-**
PHRIVS PANVINIVS, Vir Antiquitatis alio- nuphrius
 quin studiosissimus, quem **LIPSIVS** in *not. ad* Panuinius
Lib. II. Annal. industrium ac diligentem nominat.
 Hic etiam non dubitauit omnem Septemuiralis Ele-
 ctoratus originem **GREGORIO X.** adscribere,
 quando in libello *de Comitibus Imperii*, eundem il-
 lum **GREGORIVM X.** qui modum eligendi
 summum Pontificem immutauit, nouasque leges
 edidit de Pontificis electione in conclauis vndique
 custodito facienda, ne forte per ianuam illubens am-
 bitio vel auaritia Cardinalibus se immisceret, etiam
 hanc Imperatoris Electionem in aliam redegisse
 formam scribit. Verum fatentur ipse **A VEN-
 TINVS** atque, **ONVPHRIVS**, nullam Bullam
 Papalem, nullum item monumentum illius aeui si-
 bi

bi visum, quo GREGORIO X. illud institutum
esset adscriptum.

XVIII.

Alii Inno-
centio IV.
institutio-
nem huius
Collegii at-
tribuunt et
inter eos
praecipue
Baronius
Cardinalis.

Toto itidem caelo aberrat CAESAR BA-
RONIUS, *Cardinalis et Apostolicae sedis Bibliothecarius*, vir immensae lectionis et variae eruditionis, in Annalibus suis, qui vero (censura est M. ANTONII de DOMINIS *lib. IV. cap. 10. n. 1.*) Scopum illum unicum omnes habere videntur, ut Romanus Papatus strenue gnauiterque stabiliatur. Ac propterea non historiam Ecclesiasticam, ut par erat, sed Apologiam perpetuam nobis edidit: imo et historicas veritates saepissime corruptit, et labefactavit, ut vel Papatui prodesse, vel saltem non obessent. Hic originem Septemviralis dignitatis referre quidem in *Secul. XIII.* sed INNOCENTIVM IV. Autorem voluit, quem in Concilio LVGDVNENSI Ann. Chr. clcccXLV. Collegium Electorale instituisse autumat. Verum nihil habet, quo id potuit probare, praeterquam nonnulla ex Chronico MATTHAEI PARISII, scriptoris Anglici desumpta, hisce verbis:

MAGNA-

MAGNATES ALEMANNIAE
NON TAMEN ELECTORES
IMPERATORVM.

| | | |
|-------------------------------|---|-------------------------|
| <i>Rex Bohemiae</i> | } | <i>Dux Lomburgiae</i> |
| <i>Dux Lotharingiae</i> | | <i>Dux Carinthoniae</i> |
| <i>Dux Brunaswikiae</i> | | <i>Dux Saxoniae</i> |
| <i>Dux Suaviae</i> | | <i>Comes de Gelria</i> |
| <i>Landgravius Thuringiae</i> | | |

ELECTORES IMPERATORVM.

LAICI { *Dux Austriae*
Dux Bauariae
Dux Saxonum
Dux Brabantiae, qui et Louaniae.

PRAELATI { *Archi-Episcopus Coloniensis* } PRIN-
Archi-Episcopus Moguntinus } CIPA-
Salsburgensis } LES.

Isti ducentur in Insulam quandam Rheni, et dimittentur soli in ea, et amouebuntur omnes nauiculae, et ibi tractabunt de Electione Imperatoris; nec adueniat aliquis ad eos, donec omnes sint concordēs. Huic negotio praecerit Archi-Episcopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgensis. vid. BARONIVS loc. supra cit. At vero etsi MATTHAEVS PARISIIVS isthac aetate vixerit, rerumque Concilii illius peritus esse potuerit, attamen I.) in Chronico illo nonnulla quidem notantur de Electoribus,

D

non

non autem asseritur vel institutos illos esse in Concilio illo Lugdunensi Pontificis autoritate, vel tum temporis ad singulares aliquot Principes ius illud eligendi peruenisse. 2) In narratione illa, quae in Chronico illo continetur, multa habentur inepta, et a consuetudine Imperii nostri plane aliena. Nec enim eligendi ius vnis Septemuiris attribuitur, sed praeter Septemuiros etiam aliis quibusdam Principibus, quos prae aliis iure eligendi gauisos esse, nullo vel leuissimo testimonio probari potest. Si quidem ipse BARONIVS fatetur, latere sese, quis tandem, cum in Chronico habeatur, inter Laicos Principes eligendi ius esse penes *Austriae, Bauariae, et Brabantiae Duces*; inter Episcopos vero penes *Salisburgensem, quisnam tandem in Treuirenses, Palatinum, Brandenburgensem et Bohemum* ius illud retulerit, suspicatur tantum, vel Principes Germaniae ita postulasse atque ab INNOCENTIO IV. vel ipsius Successore Alexandro IV. confirmatum esse, vel, quod supra nominati Duces magis cuperent eligi, quam eligere Imperatores, sicque inter eligendos potius quam inter electores locum habere maluerint.

XX.

Et Robertus
Bellarminus.

BARONI errorem excipit ROBERTVS BELLARMINVS, *Cardinalis*, qui etsi prius in *Traçtatu suo de Translatione Imperii Lib. III.* primarius ordinationis huius a *Gregorio V.* peractae defensor extitisset, tandem tamen et ipse animum muta-

mutavit, BARONIO suffragium ferens, idque in Operum suorum recognitionibus publice, irrevocabiliter et perpetuum testatum esse voluit. Ast si certo constat de INNOCENTII Sanctione, cur Bellarminus, devotus iuratusque Pontificiae sedis adulator, eandem tam tacito pede praeterit? Non enim satis est dicere: Ab INNOCENTIO institutam esse dignitatem Electorum, nisi et hoc, quo tempore, et quibus circumstantiis instituta ea sit, e certis documentis adiiciatur. At haec omnia pro dignitate exequi prolixius est, quam ut a nobis nunc quidem praestari possit. Interim haec de Serenissimi Electoralis Collegii Origine iam notasse sufficiat. Plura de hac re differendi occasio dabitur in conflictu.



AKT 2122

PRAESES

A.D

RESPONDENTEM

Auditorem dilectum.

Vnde ELECTOR VM Ius sit, iam differis apte.
Pergito: sic omni iure brabea feres.

A. et Ω.

Materiam sumat tractandam viribus aequam
Quisque suis; Vates ceu Venusinus ait.
Amplior haud vlla est, Mi Pertzsch, pulchrior haud est
Materia hac, quam Tu dissoluiffe studes.
Hinc te conari quis non videt ardua rerum
Prendere et hinc quis te mente valere neget?
Grator, et ut pergas sic, sum Tibi suasor, Amande,
Ac erit inde Tibi cultius ingenium.

Haec paucula Erudito Dn. Respondenti, Amico suo
singulariter dilecto gratulabundus addere voluit

Val. Ioh. Wiesner, SS. Theol. St.

F I N I S.



M

1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

